



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Tertivs

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

facere totius Decalogicæ Legis; contra *secundam* interservi clarissima quarti ex Augustino testimonii verba, quibus docet manifestissimè, quomodo minuta, si negligantur peccata, occidant, quibus antecedentis tertii sunt similia, quâ ratione minuta, si colligantur, peccata, etiam si non singula, tamen obruant hominem, docentia; quoad *tertiam*, quæ principii continet petitionem, ac postularum hæcenus non probatum, nullâ opus est responsione, quia ratio rationis adhuc desideratur; quidquid inquam, sit de Bellarmini ratiunculis, non ad eò & omni ex parte, quin potius nullo planè modo apertis, sicut id non evincunt, quod ex instituto debebant, ita quod ex iis elicere studuit Bellarminus, Augustini Sententiæ è diametro est contrarium, in secundo docentis testimonio, *peccata quamvis parva, crebra tamen ita hominem opprimere, sicut unum aliquod grande peccatum*; Imò in quinto expressissimè &, ut aliàs dicitur, in terminis contra Bellarminum scribentis, *Levia multa faciunt unum grande*. Ad quæ Sancti Doctoris testimonia multò apertiora, quàm ratiunculæ Bellarmini sunt, dum Bellarminus nihil respondit, suam in respondendo impotentiam apertè exposuit laci, respondere non intermissurus, si quidquam in penu fuisset super. Quod autem ad *alteram* hanc hypothesin suam addit Bellarminus, *posse* ad Augustini de multis venialibus peccatis in unum collectis testimonia etiam dici, multa venialia æquari uni peccato mortali, quoad penam temporalem in Igne Purgatorio luendam; per *non posse* rejicitur, eum & hic à posse ad debere & esse non valeat consequentia. Patet hinc etiam, quid habendum sit de Bellarmini responsis ad duo priora Augustini testimonia, quia utrumque de sensu verborum Jacobi agit, ex Augustino plus satis jam ostenso. Id verò, quod ex opere *Confessionum* est delutum, dum Bellarminus idem de Purgatorio putat agere, supra in loco est ostensum, contra Sancti Doctoris mentem pugnare. Cætera, quæ ad hujus Controversiæ pertinent illustrationem, in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* leguntur, ubi in primis à Thomista Lovanienfis exceptionibus Parisiensis quondam Cancellarii *Gersonis* rationes contra quorundam peccatorum naturalem venialitatem sunt vindicatæ; ostensumque est ex Augustino, id quod contra Bellarmini ratiunculas, in specie, contra earum *secundam* probè est notandum, *que levia sint peccata, & que gravia, judicio non humano, sed Divino esse pensanda*; additumque ex *Tanero*, non convenire Doctores Scholæ in eo, *in quo propriè peccatum mortale & veniale inter se differant*; & ex *Morando*, Veronensis, Clerico regulari, *esse rem summè difficilem & quasi impossibilem, unam aliquam certam regulam ad dignoscenda à venialibus peccata mortalia assignari*; notatà insuper *Caramuelis* in hoc negotio, sicut in aliis pluribus, inconstantia; quæ omnia si ad animum vocentur, per Antidorschei utriusque constans & pertinax hæcenus silentium inconcussa, Lectorem Veritatis studiosum satis possunt informare de nullitate naturalis peccatorum, quæ *salvâ charitate* & Deo & proximo debitâ fieri possunt, venialitatis, atque ita receptæ inter peccatum mortale & veniale distinctionis in Senfu Papæ, contra quem ex Augustino nunc actum.

LIBRI TERTII CAPVT QVARTVM & QVINTVM,

DE

Primo primorum hominum peccato.

Libro secundo prætermisso, in quo de *causa peccati* agitur contra Calvinianos, Deo peccati causam adscribentes, non tamen sine *Lutheri & Melanchthonis* mentione, quasi olim & illi idem docuerint, quos facili operâ vindicare, hancque accusationem gravissimam in ipsum quoque Bellarminum & alios plures Romano-Papæ Scriptores, propter non unas hypotheses retorquere, simul etiam contra eos Doctores Pseudo-Evangelicos agere liceret, qui nescio, quâ Philosophicæ accusationis præensione, Deo causam peccati *per accidens* attribuire non verentur; nisi ab aliis hic labor jam esset præoccupatus, & propriè ad Institutum præsens non pertineret, ubi solùm Augustini Sententia venit ponderanda: Prætermisso, inquam, hoc libro, & hæc de *causa peccati* Controversiâ, utpotè in cujus tractatione Bellarminus orthodoxam ex Scripturâ & Patribus, & ita etiam Augustino, defendisse videri voluit Sententiam; ad sequentis libri Questionem primariâ rectâ progredimur, in quâ etsi non de Controversiâ fundamentali agatur, *Lutheri* tamen Sententia de *primo primorum hominum peccato* vindicanda est, ne Augustino

vid. D.
Froeris.
Vol. IV.
Disp. 7.
D. Dorsch
in Interv.
& Anti
Corn. c. 36

stino videatur contradixisse & scripsisse. Statuit nimirum *Theander* in super tertium Geneleos caput Commentario, primum primorum hominum peccatum fuisse infidelitatem, quod videlicet non crediderint, se morituros, si fructum à DEO prohibitum degustarent. In contrarium scribit *Bellarminus*, communem Theologorum Catholicorum, id est, Romano-Papæorum esse Sententiam, primum peccatum fuisse superbiam. Hoc quemadmodum ex Scripturis, ita etiam testimoniis Patrum demonstrare fatagit, ex Augustino exhibens sequentia: Augustinus, inquit, de primo loquens peccato scribit, *A peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola iussio dominantis deberet attendi.* Sed clarius alibi in eodem opere: *Quando his verbis crederet Mulier, à bonâ atque utili re Divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille potestatis propria, & quadam de se presumptio superba, quæ per tentationem illam convincenda fuerat & humilianda.* *Bellarminus* loco glossæ addit, *His apertissime verbis Augustinus refellit Sententiam, quam Lutherus & Calvinus evertunt. Illi enim volunt, ex infidelitate natam esse Superbiam; contra autem disputat Augustinus, non potuisse infidelitatem in animo primæ Parentis locum invenire, nisi in eo Superbia præcessisset.* Post plura ex Augustino adducit, Idem, scribens, alibi enumerans actus malos & quasi partes peccati hominis primi, primo statim loco Superbiam ponit. *Superbia illic est, inquit, quæ homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit.* Et iterum alibi de utroque primo Parente loquens: *In occulto mali esse cæperunt, ut in apertam laberentur inobedientiam. Non enim ad opus malum per veniretur, nisi mala præcessisset voluntas. Porro male voluntatis initium quid esse potuit, nisi superbia? Initium enim omnis peccati Superbia.* Et infra, *Manifesto igitur apertoque peccato ubi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, Diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi placere cepisset. Hic enim delectavit, quod dictum est, eritis sicut Dii; quod melius esse possent Summo veroque Principio per obedientiam coherentem, quam suum sibi existendo principium per Superbiam.* Inter rationes, quibus pro hâc Sententiâ pugnat *Bellarminus*, hæc ex Augustino adducit: *Non potuit mens primorum Parentem Divino Lumine illustrata in errorem induci, nisi antea per aversionem à Deo lumine illo fuisset destituta, ut Augustinus ratiocinatur, loco proxime citato; quemadmodum nemo potest credere, Solem non lucere, dum ipsum respicit Solem.* Ergo infidelitatem primorum Parentum aversio à Deo & peccatum præcessit, non igitur infidelitas primum fuit peccatum. Ad hæc mater infidelitatis est Superbia, ut idem Augustinus docet alibi. Igitur Superbia infidelitatem præcessit, non è contrario, nisi filiam Matre antiquiorem faciamus. Et ne quid ad rem pertinens studio singulari videatur omissum, illud etiam debet addi, quod ex Augustino in demonstratione è dictis Scripturæ desumptâ laudavit *Bellarminus*. In eâ enim, dum occasione Oraculorum Pauli de primo hoc peccato monuit, *primum Superbiæ actum esse, nolle subijci imperio & præceptis alterius; quæ proprie dicatur inobedientia, sicut è contrario humilitatis sit, subijci imperio & præceptis aliorum, quæ proprie dicatur obedientia, id autoritate Augustini sequentem in modum voluit probare: Augustinus pro eodem habet Superbiam & Inobedientiam, Humilitatem & Obedientiam; Bonum est, inquit, sursum habere Cor, non tamen ad seipsum, quod est Superbia, sed ad DOMINUM, quod est obedientia, quæ nisi humilium esse non potest.* Et in eodem loco, *Melius esse possent Dii, Summo veroque Principio per obedientiam coherentem, quam suum sibi existendo per Superbiam.* *Bellarminus* addit, *Hoc loco opponit Augustinus tanquam contraria, obedientiam & superbiam, quia videlicet inobedientia est quadam superbia, & obedientia quadam humilitas.* Et alibi, *Fieri non potest, ut voluntas propria non grandi pondere ruine cadat super hominem, si eam voluntati Superioris præponat extollendo.* Hoc expertus est homo contempnens præceptum Dei, & hoc didicit experimento, quid intersit inter bonum & malum, bonum scilicet obedientiæ, malum inobedientiæ, id est, Superbiæ & Contumaciæ. Inter objectiones, quas suæ opposuit Sententiæ, & ad quas respondere studuit *Bellarminus*, sunt etiam aliquæ, quæ vel ipsæ Augustini nituntur autoritate, vel quas Augustini autoritate conatus est refellere. Ad illas pertinet objectio quarta, quam Bonaventuræ & Scoti adscribit, quorum Sententia tamen, etsi *Bellarmino* quidem est opposita, at ab Evangelicorum diversa, huc non pertinet. Hæc igitur tantum opus est hic vindicare, quæ pro Infidelitate militant, ordinis ratione superbiam antecedente. Ex earum serie est tertia, quam *Bellarminus* attribuit *Calvino*: Nunquam repugnare imperio Dei fuisset ausus Adam, nisi incredulus verbo ejus. Respondet autem *Bellarminus*, Adam non fuisset ausus imperio Dei manifesto & expresso, quo ligni scientiæ vetabatur, repugnare, nisi incredulus verbo Dei incredulus, nisi per elationem à Deo averfus, luce Divinâ destitutus, tenebre scere cœpisset, ut August. de Evâ scribit. At quæ hinc potest

Lib. 14. de
Civ. Dei,
cap. 13.
& 17.

potest explicari alius ejusdem Augustini locus, ubi videtur primum primorum hominum peccatum constituere in Infidelitate, cum dicit: *Hoc cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, quid Infidelitas & inobedientia noceret.* Solum enim ex hoc loco probatur, inquit Bellarminus, fuisse in primorum hominum peccato infidelitatem & inobedientiam, apertam videlicet, quam commiserunt, dum lignum vetitum degustârunt; sed non probatur, non præcessisse Superbiam & inobedientiam occultam, de qua idem Augustinus loquitur loco ante citato. Objectionem sextam ita proponit Bellarminus: Si per Superbiam primi homines in itinere lapsi essent, id accidisset profectò, quia cupiverunt fieri sicut Dii, ut Sathan illis promittebat. Quæritur ergò, an crediderint, se fieri posse, sicut Deos; an verò non crediderint? Nam si crediderunt, certè in errore, atque adeò in Infidelitatem prius, quam in elationem & superbiam lapsi sunt. Si non crediderunt, non adpareret, quemadmodum adpetere potuerint fieri, sicut Dii; neque enim id adpeti potest, quod non posse fieri creditur. *Bellarminus respondet.* Augustinus in Explicatione Psalmi post sexagesimum octavi, vel juxta Ebræos noni, illa tractans verba, *Quæ non rapui, tunc exolvebam, scribit, primos homines rapere voluisse Divinitatem, & perdidisse felicitatem.* Hoc non ita est accipiendum, quasi voluerint mutare naturam, & ex hominibus Dii per essentiam fieri; Nam idem ipse Augustinus in locis pluribus explicat, Superbiam primorum hominum in eo sitam fuisse, quod Dii optaverint fieri per imitationem & similitudinem, ut, sicut Deus scit bonum & malum, nec aliquo eget rectore & gubernatore, nec alicujus potestati est subditus; ita ipsi scirent bonum & malum, nec Dei indigerent providentiâ, nec illius imperio & potestati subessent. Ita idem alibi scribit:

lib. II.
de Gen.
contra
Manich.
cap. 15.

Videmus, per Superbiam peccatum esse persuasum. Ad hoc enim valet, quod dictum est, ERITIS SICUT DII. Quid hic intelligitur, nisi persuasum esse, ut sub Deo nolent esse, sed in sua potestate potius sine dominio, ut Ejus legem non observarent, quasi irvidentes sibi, ne se ipse regerent, non indigentes illius lumine interno, sed propria utentes providentiâ, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum & malum, quod Ille prohibuisset? Hoc est ergò, quod persuasum est, ut suam nimis amarent potestatem &c. Et iterum alibi: Contempsit Adam in Paradiso positus præceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi Dronæ

Tract. 4.
in Epist.
Joh.

Idem docet locis pluribus supra citatis. Porro, ita pergit Bellarminus, initium hujus Superbiæ potuit esse, ac fuit in homine, sine ullo errore præcedente, per solam inconsiderationem sive incogitantiam. Non enim cœpit Superbia ab illo actu, nolo esse sub Dei potestate; sed post audita Diaboli verba, eritis sicut Dii, scientes bonum & malum, (quæ verba Mulier ab ipso Sathanâ, vir à muliere audivit, sicut è contrario præceptum Dei vir ab ipso met Deo, mulier à Viro audiverat, teste Augustino:) volvere cœperunt intra se, pulchrum esse, non pendere ab alio, & simul cœperunt delectari propria potestate, eamque adpetere, ac vehementer placere sibi, & occupari ejusmodi cogitatione, delectatione ac desiderio; non erexerunt animum ad DEUM, neque cogitaverunt, id neque fieri posse, neque sibi expedire, atque ita paulatim, ad se magis ac magis conversi, & à Deo aversi, cœcutire cœperunt, & fidem habere verbis Sathanæ, & DEI

Lib. 14. de
Civ. Dei,
cap. 28.

præceptum minasque contemnere. Sic enim, ut docet Augustinus, gradatim pergitur in viâ Iniquitatis, ab amore sui usque ad contemptum Dei, quemadmodum in viâ Justitiæ ab amore Dei, usque ad contemptum sui. Itaque simile videtur fuisse primum primorum hominum peccatum ei peccato, quod à Theologis dicitur delectatio morosa. Neque enim, qui circa pecunias, dignitates aut voluptates morosam habent delectationem, statuunt, furtis vel ambitioni & fornicationi dare operam, neque cogitant, fieri ne possit, annon, quod animo volunt; sed solum eâ delectantur cogitatione, ac si res ipsa præstò esset, & peccatum non imaginatione, sed opere patretur.

*Ita Bellarminus pro Superbiâ, tanquam primo primorum hominum peccato, quæ ante, quàm Examini subjiciantur, juvat Pererii singularem & differentem à Bellarmini audire Sententiâ, quâ, quamvis primum utriusque peccatum statuat fuisse Superbiam, in peccato tamen Evæ duplicem fuisse docet Superbiam, unam quam præponit, alteram verò, quam postponit Infidelitati, & quidem, quod notandum venit, ex iis Historiæ Lapsus verbis, quorum respectu huic peccato Superbiam adscripsit Augustinus à Bellarmino laudatus, & Bellarminus ipse. Verba Pererii huc pertinentia sunt: *Consensus primum Evæ peccatum fuisse Superbiam. Etenim, statim ut Serpens dixit Evæ, cur præcepit vobis Deus &c. (& ut bene super his verbis monuit Cajetanus, non hæc tantum verba dixisse Serpentem Evæ putandum est, sed alia complura, quæ Moses causâ brevitas præcipit**

per sedis: quibus ostendit serpens, per illud Dei preceptum valde gravari & opprimi hominis libertatem, ejusq; dignitatem diminui: statim igitur post hæc verba motus quidam elationis exitus in animo Evæ, ferentis indignè, adstrictam se teneri eâ Lege, cupientisq; arbitrari suo libere nulli subjectam vivere, sibi, ipsam (esse) sufficientem ad vivendum. Et hæc est Superbia, inquit Pererius, provocans ad illud Augustini ex opere de Civitate DEI testimonium, quo Bellarminus etiam est usus, & quod de primo tanquam de utriusque primi Parentis peccato agit. *Secundum Evæ peccatum dicit fuisse accidiam, aliàs acediam, quandam spiritualem; tertium dicit fuisse mendacium; quartum Infidelitatem, quia dubitaverit Eva de veritate Sententiæ, quâ dictum fuit Adamo, si comederis ex hoc ligno, Morte morieris; Ipsa autem dubitanter dixit, Ne forte moriamur; maluit præterea Serpenti credere, quàm Deo; quintum Superbiæ, cum præter illud supra memoratum, audito rursus promisso Serpentis, eritis sicut Dii, scientes bonum & malum, fuerit inflammata cupiditate tam excellentis Scientiæ & potestatis &c. Quomodo hæc cum Bellarminianâ lapsus primi descriptione conveniant, ii videant, quorum est inter, ne ob jactatam tam insolenter unitatem, Ecclesiæ ejusdem filii diversa inter se & pugnancia scribant, inprimis, dum res est eis contra hæreticos, præsertim contra Lutherum, quem sibi hic oppugnandum proposuit Bellarminus. Illud nunc addo, eundem Pererium, in illâ Quæstione enucleandâ occupatum, quæ de Adami deceptione agit, testari, multos & inprimis graves ac nobiles sensisse videri Auctores, idq; Scriptis prodidisse, Adamum Serpentis promissionibus stultè CRE-
DULUM, Divinæq; similitudinis & potestatis cupiditate incensum, gravissimo cum mentis errore & FIDEI jacturâ fuisse deceptum, illo Augustini testimonio inter plura aliorum Patrum pro confirmatione in medium adducto, cui Bellarminus in responsione ad tertiam Objectionem satis, frustra quamvis, facere laboravit, ut proximè videbitur. Observari autem debet in genere, id quod ad legitimum Quæstionis controversiæ statum pertinet, neque Evangelicos negare, in lapsu Adamico, prout consideratur tanquam actus, non ut initiatus, sed completus, cum aliis etiam concurrisset Superbiam, neque Papæos, quod ex Bellarmini & Pererii descriptione patet, negare, concurrisset Infidelitatem; sed de ordine tantum esse litem, & an verè scripserit Lutherus, primum primorum hominum peccatum fuisse Infidelitatem, quod videlicet non crediderint, se morituros, si fructum à Deo prohibitum degustarent; an verò obtinere debeat communis, ut Bellarminus scribit, Theologorum Catholicorum, id est, Romano-Papæorum Sententiæ, primum illud peccatum fuisse superbiam, & quod huic præsertim inservit Instituto, cuiam ex his duabus Sententiis Augustinus videatur addictior, testimonio ex Eo in utramque partem citatis? Ostendet id sequens eorum ponderatio, cui hoc tantum præmitto, Bellarminum in tractatione Quæstionis, Verum Adami an Evæ peccatum gravius fuerit, quam capite sequenti nono exhibet, dum utriusque peccati diversos actus juxta seriem sibi placitam exponit, sibi metipsum non obscure videri contradicere & scribere. Et si enim, ut vidimus, ad explanationem Oraculorum Pauli de primo hoc peccato agentium, & autoritate quidem Augustini, Superbiam & inobedientiam pro eodem haberi voluerit; in recensione tamen diversorum primi hujus peccati actuum pro diversis agnovit, interque eos posuit utrobique Infidelitatem, quod iterum animi non ad eò constantis signum est & indicium, cujus documenta hæcenus non pauca habuimus, habituri in posterum plura. Quid si verò dicamus, Augustinum per Superbiam simul subintellexisse & indicasse Infidelitatem, eamque quasi matrem præsupposuisse, & id quidem ad mentem Syracidis, qui initium Superbiæ hominis dicit esse à Deo apostatate, quando nimirum ab Eo, qui fecit eum, recedit cor ejus; Bellarmino vim apertam faciente Scriptori Ecclesiastico, dum negat, ita accipi debere hæc verba, quasi apostasia prior sit, quàm Superbia, putans, significari per ea, primam partem sive primum Superbiæ actum fuisse, nolle Deo parere? Et si id per examen speciale testimoniorum Augustini demonstrabitur, videlicet, Sanctum Doctorem per Superbiam primi hominis non nisi ipsam subintellexisse Infidelitatem, contra Bellarminum obrinebimus.*

Primum ita habet, prout Bellarminus adduxit: A peccante nihil aliud adpetitum est, nisi, non esse sub Dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Bellarminus quidem existimat, hoc testimonium insigniter sibi favere, sed præcipitanter nimis illud inspexit, vim ejus non attendens, quâ non ita obscure Evangelicorum subscribit Sententiæ. Eam certè intellexit utriusque parentis Superbiam, ad quam ducti fuerunt per non-attentionem jussionis Dominicæ; quæ si sola attendere, ita mentem suam explicat Augustus Pater, quid aliud, quàm Dei vo-

luntas attendetur, quid aliud, quam Dei voluntas amaretur: quid aliud, quam Dei voluntas humanae voluntati proponeretur? Hic quemadmodum Augustinus per voluntatis Divinae attentionem, observationem & debitam ei subjectionem nihil aliud intellexit, quam hominis fidelitatem, quâ Deo ex jure creationis est obligatus, ut ad revelatam Ejus voluntatem in omnibus suis actionibus ex assensu pro viribus se componat, sicut Servus ad voluntatem Domini, *faciendum est enim à ferviente, quod jussit Dominus*, quâ iterum verba sunt Augustini, mentem de hac re suam uberius ibi explicantis; ita è contrario per non-attentionem, neglectionem & denegatam Voluntati Divinae subjectionem, nisi Infidelitatem hominis, ex quâ Orta est Superbia, non intellexit Eum, ex oppositione est & esse debet omni ex parte indubium. Secundum Augustini testimonium aliquantò clarius suam exponere Sententiam existimat quidem Bellarminus, sed in eo etiam fallus, si tenor verborum accuratius attendatur, quæ ex eodem, quo primum, opere sunt sequentia: *Quando (fortitan, quomodo) crederet Mulier, à bonâ atq; utili re fuisse se prohibitos, nisi jam inesset amor ille potestatis propriae, & quedam de se presumptio Superba, quæ per tentationem illam fuerat convincenda & humilianda?* Ut hujus testimonii sensus eò melius pateat, non repetam illud Francisci Maronis Scholion, quo usus est responsi loco Doctor Gerhardus noster; sed interrogabo solum, unde ex mente Augustini putandum sit, ortam esse in animo Evæ illam potestatis propriae amorem & superbiam de se presumptionem? Certè non nisi à persuasione Serpentina, cui magis, quam expresso Creatoris præcepto, fidem adhibuit, eometipso infidelis & incredula; quæ ejus infidelitas postmodum magis fuit confirmata & facta quasi adulta suum accipiens augmentum ex Superbiâ & appetitu excellentiæ majoris, id est, Divina; ita ut verè dici poterit & adhuc possit peccatum illud *Infidelitas superba & Superbia infidelis*. Nullum proinde est glossema Bellarmini, quo testimonium hoc Augustini se contra Lutheri Sententiam quasi irrefragabile posse adhibere putavit. Tertium ex Enchiridio testimonium aliquantò videtur difficilius, quam ut Lutheri & Evangelicorum Sententiæ possit applicari. Ne autem causæ videamur diffidere, pleniore illud Textu, quam Bellarminus exhibuit, indagandum ejus Sensum, adscribemus: *In illo peccato unico, quod per unum hominem intravit in Mundum, & in omnes pertransiit homines, propter quod etiam parvuli baptizantur, plura possunt intelligi peccata, solum ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Nam & Superbia est illis, quâ homo in suâ potius, quam in Dei potestate esse dilexit; & Sacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium, quia seipsum præcipitavit in mortem; & fornicatio spiritualis, quia mentis humanæ integritas Serpentina persuasionem est corrupta; & furtum, quia cibus prohibitus est usurpatus; & avaritia, quia plus, quam illi debuit sufficere, adpetivit; & si quid aliud in uno hoc admissio inveniri potest diligenti consideratione.* Verum est, anteponebat Sanctus Pater cæteris omnibus in Protoplastorum lapsu peccatis concurrentibus Superbiam; sed non quasi ratione ordinis primum fuerit peccatum, ac cætera quævis tempore aliquo præcesserit. Nullibi certè id indicat Augustinus Doctor. Est potius hæc enumeratio partium & membrorum unius peccati facta ab Augustino sine certo ordinis & temporis respectu. Id ne frustra dici videatur, quæro, an non existimandum sit, Augustinum credidisse, præcessisse fornicationem, quam dicit spiritalem, quâ mentis humanæ integritas Serpentina persuasionem est corrupta, homicidium, quo uterque parens seipsum præcipitavit in Mortem; vel præcessisse avaritiam, quâ plus, quam illi debuit sufficere, adpetivit, furtum, quo cibus prohibitus fuit usurpatus? Et tamen inverso ordine hæc peccata recensuit Augustinus, eometipso indicans, non ita strictè & rigorosè eum hic attendi debere, ut non ex consideratione circumstantiarum, quas Sacri Historici in descriptione lapsus suppeditat, bonâ cum veniâ liceat invertere & mutare. Quin & illud est notandum, quod, sicut Augustinus voce Sacrilegii non ita accuratè & eo sensu videtur usus, quo alias communiter solet; ita etiam per Superbiam aliquid amplius, id est, ipsam quoque Infidelitatem voluerit intelligi, quia Servus infidelitatem Hero debitam non aliâ magis ratione prodit, quam si in suâ potius, quam Hero potestate esse velit, quod ad primum quoque testimonium ex Augustino fuit observatum. Quartum ex opere de Civitate Dei testimonium, quamvis itidem pro Sententiâ Bellarmini videatur scriptum, si tamen observationi prædictæ inhæreatur, facilem exhibebit sensum, præprimis cum ipse Augustinus verbis à Bellarmino omissis eos nos ducat manu quasi, quibus clarè satis indicat & ostendit, unde hæc Superbia in primis fuerit Parentibus, scribens: *Spontaneus est iste defectus, quoniam si voluntas in amore Superioris immutabilis Boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, habet*

lis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret & frigesceret, ut vel illa verum CREDERET dixisse Serpentem, vel Ille DEI mandato Vxoris præponeret voluntatem, putaretque, se venialiter esse transgressorem præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non potuit manifestius mentem suam expressisse Sanctus Doctor; quam ubi & Evæ & Adamo in descriptione lapsus eorum & primæ originis adscribit *fidem*, ibi quidem Serpenti, hic autem Evæ habitam plus quam Deo Ejusque voluntati & mandato, hæc ratione *infidelitatem* sistens tanquam movens primum, quo ad peccatum Superbiæ fuerunt pertracti. Et dum Pater augustus Superbiam dixit *initium male voluntatis*, imò ex Syracide *initium omnis peccati*, utrobi- que juxta ante dicta intelligi debet, non quasi omne peccatum à Superbiâ ortum propriè haberet, contradicentem aliàs habere videretur Apostolum, qui Avaritiam dixit *radicem omnis mali*, id est, secundum Fromondi paraphrasin, *omnium Scelerum*; sed quia quodvis peccatum, quod à voluntate malâ provenit, ante omnia per Superbiam se exerit, quod in primo præsertim peccato factum, ut adeò *superbia* ob id primum occupare videatur locum, & non inconsuetâ loquendi formulâ effectus pro causâ, ipsa nimirum Superbia pro *infidelitate*, quæ malam gignit voluntatem, & de se protrudit *Superbiam*, dicatur & nominetur. *Quintum* sequitur ex Augustino testimonium, cujus mentionem facit Bellarminus, ubi ex ratione voluit probare, Superbiam fuisse primum primi hominis peccatum, quod omnium maximè rem hanc videretur evincere, nisi accurata Textûs inspectio suaderet aliud. Dicit Bellarminus ex Augustini libro de Pastoribus, *Matrem infidelitatis esse Superbiam*; concludit inde, *igitur Superbia præcessit Infidelitatem, non è contrariò, nisi filiam Matre antiquiorem faciamus.* Si res ita haberet, ut Bellarminus vult, omninò in hæc Lutheri causâ victas dare cogeremur manus. At in salvo fumus, & Augustinus hic quoque noster est. Nimirum, non de primo lapsu Protoplastorum agit Sanctus Doctor, sicut neque Paulus, ubi loco proximè citato Avaritiam dixit *omnis mali radicem*; sed quemadmodum Apostolus avaritiam, ita Pater augustus *Superbiam*, descripsit, tanquam primi Protoplastorum lapsûs fructum, alios plures generantem & ubertate minus utili post se trahentem. Loquitur autem de diversitate Sectarum suo tempore illustrium, à *Superbiæ* uno fonte profectarum, quod ipsa satis clarè docent verba: *Diversis, inquit, locis sunt diversa, nimirum Sectæ; sed una Mater superbia omnes genuit, sicut una Mater nostra, (Ecclesia videlicet) Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Non ergò mirum, si *Superbia* parit *dissensionem, Charitas unionem.* Jam si ex his verbis voluit Bellarminus arguere, quod Eum voluisse, verba ostendunt, *Superbiam* fuisse primum primi hominis peccatum, videat, quicumque partes Ejus velit in posterum defendere, quid respondendum sit, si quis pari ratione ex laudato Apostoli Oraculo velit concludere, Avaritiam fuisse primum primi hominis peccatum. Adde ex abundantia, si Augustinus propriè *Superbiam* dicere voluisset omnium vitiorum, adeòque & infidelitatis, (quæ ante omnia Protoplastos peccasse, Evangelici cum Lutero ex Scripturæ & Historiæ Sacræ ductu docent,) Matrem & progenitricem; in Oppositione neque Ecclesiam, neque Charitatem nominare debuisset, sed Humilitatem vel Obedientiam, juxta illud testimonium, quod nunc numero *sexto*, quamvis ratione ordinis à Bellarmino observari *primum*, desiderat examen. Utenim Bellarminus obtineat, *Superbiam* fuisse primum primi hominis peccatum, post Oracula Pauli hoc peccatum describentia provocat ad Augustini autoritatem, *Superbiam & Inobedientiam pro uno eodemque peccato habentis.* Non urgebo rationem consequentiæ adhuc satis dubiam, an videlicet ex eo, si *Superbia* & *Inobedientia* Augustino unum idemque sint peccatum, ritè colligatur, primum Protoplastorum peccatum fuisse *Superbiam*, quod Bellarminus omisit demonstrare; neque repetam, quod antè jam fuit observatum, ipsum quoque Bellarminum recessioni concurrentium in primo peccati actu peccatorum sub diversis inserere titulis *Superbiam & Inobedientiam*, id non facturum, si verè pro uno eodemque peccato agnovisset; sed id tantum ex Instituti Ratione Lectorem monebo, Bellarminum & hic Augustino peregrinam adfixisse mentem, quod ex ipsiis patet verbis à Bellarmino citatis, quibus non dicit, *Superbiam & Inobedientiam*, vel ex opposito *Humilitatem & Obedientiam* esse idem, sed, *Obedientiam non-nisi humilium esse posse*, id est, *Obedientiam* præsupponere *Humilitatem*, quod aliud est longè, quam quod Bellarminus voluit. Neque juvat Eum, quod Augustinus verbis sequentibus tanquam contraria opponit *Obedientiam & Superbiam*, qui

NB:

cap. 10.

1. Tim. 6.

qui hic causam pro effectu, ibi pro causâ effectum nominavit, quæ observatio ad quartum quoque testimonium est facta. *Septimum* super adhuc est Augustini testimonium, quo Bellarminus in præsentî Quæstione, utitur vel potius abutitur, quod etsi in se contineat descriptionem Superbiæ, circa primum Protoplastorum lapsum, & quidem tanquam rei lapsum antecedentis, non id tamen fit cum exclusione *Infidelitatis*, quæ iterum omnino præsupponi & subintelligi debet, tanquam fons & origo, unde voluntatis humanæ elatio nata est, homine cometipso suam infidelitatem DEO Creatori ostendente, quo voluntatem propriam voluntati Superioris superciliosè anteposuit. Nunc ut paucis adhuc vindicemus Augustini testimonia, quilibet aperte *Infidelitatem* in descriptione primi lapsus non solum nominat, sed & Inobedienciæ præponit, quam Bellarminus supra, & quidem ex Augustino, cum Superbiâ pro eodem haberi voluit peccato; eminet inter ea, quod idem Bellarminus in responsione ad objectionem *tertiam* tentavit obscurare, discrimen faciens inter Superbiâ & Inobedienciâ *apertam & occultam*, ad quem ferè modum *Pererius* duplicem in hoc peccati actu statuit Superbiâ, Bellarminus autem sub diversis nominibus, *superbiâ & Inobedienciâ*, in faciem sibimetipso contradicens & scribens. Verum non exhaurit distinctio hæc vim testimonii, manifestè *Infidelitatem* præponentis Inobedienciæ, quam de aperta solum, & non simul etiam de occultâ antecedente intelligi debere, Bellarminus quidem dicit, sed non probat, neque etiam poterit probare, verbis Augustini manifestissimis ea inter pro Infidelitatis antecessione obtinentibus. Illud porò testimonium, de quo in responsione ad objectionem *sextam* agit, eam non admittit Glossam, quam ei adfricare conatus est Bellarminus. Dicit expressè Sanctus Pater, *primos parentes nostros voluisse Divinitatem rapere*. Bellarminus respondet vel potius nugatur, hoc non ita accipiendum esse, quali voluerint mutare naturam, sed *Dû optaverint fieri tantum per Imitationem & Similitudinem*, quam ita describit, & per duo alia Augustini testimonia confirmat, ut si dicam, Bellarminum quid scripserit, quidve adfirmarit vel negarit, nescivisse, nec ad animam vocasse; nullam Ei fecero injuriam. Si enim optarunt Protoplasti, ut, *sicut Deus scit bonum & malum, nec aliquo eget Rectore & Governatore, nec alicujus potestati est subditus; ita & ipsi scirent bonum & malum, nec DEI indigerent providentiâ, nec illius imperio & potestati subessent*, quæ Bellarmini id Augustini testimonio duplici confirmantis verba sunt; non video, quid desiderari possit, quò minus dicatur, eos voluisse Naturam mutari, talem optantes Imitationem & Similitudinem DEI, quæ cum ipsâ hominis naturâ simul stare non potuit. Quod præterea addit Bellarminus, Superbiæ hujus, de quâ hæctenus, initium esse non solum potuisse, sed etiam fuisse in homine, *absque ullo errore præcedente, per solam inconsiderationem si-ve incogitantiam*, ad ea pertinet, quæ supra de naturalitate & Supranaturalitate Imaginis Divinæ, & Justitiæ Originalis ex Augustino sufficienter dicta sunt, utpote ex quibus manifestum esse potest, Bellarminum non sine magno errore initium hujus Superbiæ ab omni errore liberatum voluisse. Et dum rem hanc per simile ex Theologiâ Morali hodiernâ de *morosâ delectatione* conatur illustare, ad eorum pertinet censum, de quibus infra bono cum DEO agetur uberius, nobis jam, præteritis Quæstionibus cæteris, quas Bellarminus de primo hoc peccato, nescio, contra quos adversarios, inutili ferè operâ proposuit, ad sequentia progredientibus.

LIBRI QUARTI

CAPVT VNDECIMVM,

DE

Animæ Origine.

IN hoc etiam libro primam omittimus de *Originali Peccato* Controversiam, quam Bellarminus prolixissimè contra Pelagianos, & aliquâ ex parte contra Zvinglianos per integra decem capita proposuit, utut fortè non deessent, quæ contra ipsum et quoque Bellarminum & socios, propter nimiam hujus peccati *extenuationem*, possent & fortè